

DE
TUTA QUADAM ET PRAECIPUA
MORBUM SCROPHULOSUM
CURANDI METHODO
DISSERTATIO

HABITA

IN ACADEMIA SCIENTIAR. INSTITUTI BONON.

X. KALENDAS MAIAS ANNO MDCCCXXX.

A

PROFESSORE FULVIO GOZZI

EJUSDEM ACADEMIAE SODALI BENEDICTINO

ATQUE IN COMPLURES ALIAS COOPTATO.

BONONIAE

EX TYPOGRAPHEO ANNESII NOBILII ET SOC.

ANNO MDCCCXXXIV.

Adnotationes quasdam examini vestro subjicio, Sodales spectatissimi, de nonnullis remediis ac methodis, quibus identidem, uti mihi contigit, in curatione teterrimi morbi, quem profligare difficillimum semper censuerunt medici; adeo est suapte natura medelae impatiens, medicamque artem saepe saepius eludens, ac fallens. Morbus iste, qui civitates potissimum pervagatur, quo frequentiores sunt, et deliciis maxime deditae; qui juvenes imprimis affligit, ac praesertim foeminas in ipso aetatis flore, ingenio, forma, ceterisque dotibus praepollentes, is est, qui *scrophula* vulgo appellatur.

Duo sunt scrophularum genera, uti pridem docuerunt medici fere omnes: scrophula nempe *legitima*; et altera, quam *spuriam* vocant, et quandoque *secundariam*.

Primum genus morbum sistit *essentialem*, uti ajunt, atque universalem; alterum aegritudo est plerumque localis ab accidentalibus caussis pendens, quae interdum

morbos alios subsequitur, atque iis consectarium fere est. Ego vero de primo tantum genere loquar, de quo communis fuit medicorum sententia curatu esse difficillimum; nam haereditate illud saepe accipimus, ac situm esse videtur in arcana quadam conditione totius corporis jam inde a conceptione membris insita, propter quam lymphatica praecipue vasa, eorumque conglobationes, quas glandulas appellant, facillime stasim patiuntur, turgent, obstruuntur, durescunt, natura pedetentim mutantur, ac tum omnium oculis apparent sub forma, quam scrophularum dicunt, seu strumarum. Porro quidquid incommodi a nativitate nobis inseritur; quidquid intimam artuum vasorumque structuram penitus afficit; quidquid denique congenitum nobis est, et primitus inditum, certe vix fieri potest, ut auferatur, et radicitus extirpetur.

Tamen non semper irriti evadunt medicorum conatus: legimus enim apud nostrae artis patres ac proceres essentiales scrophulas aliquando esse persanatas opportuno remediorum usu. Quapropter visus mihi sum temeritatis notam posse effu-

gere, si in difficillimum morbum, quae prospero successu medicamenta adhibere mihi contigit, vobiscum communicarem. Ceterum non ego is sum, qui aliorum consilia detrectem, aut respuam. Vos igitur non tam participes volo totius consilii, quo scrophulas persaepe delendas sum aggressus, quam benevolos meae methodi judices, qui, si quid erraverim, libere moneant, si quid emendandum in ea duxerint, liberaliter eloquantur.

Duplici ratione curatio scrophularum instituenda est, si auctores consulimus. Alii quippe universali dumtaxat methodo utuntur; et hanc aegritudinem non in ea sede, quae oculis apparet, abolendam censent, ibi appositis remediis, immo in universo corpore expugnandam iis medicamentis, quae compagem totam pervadunt, patentesque effectus in illa edunt. Alii vero, licet ab universalibus, vel internis remediis non omnino abhorreant, putant tamen haud topica esse negligenda; ac propterea ubicumque tumentes glandulas deprehendunt, eo medicamina diversi generis admovent; quibus facile sibi persuadent, vel posse obstructiones paullatim imminui, prorsusque adi-

mi, vel glandulas ipsas, jam nulla ope sanandas, e corpore erui posse, quin obstructiones aliae, stasesque speciei ejusdem alibi in posterum enascantur. Magna autem, uti fit, animorum contentione disputantur ista in scriptis medicorum, aliis alia defendentibus; quo circa, cum in re summopere ancipiti quid verius esset judicandum mihi non liqueret, experimentorum judicio subjiciendam autumavi sententiam meam; ac propterea instituenda duxi pericula omnigena, quorum ope, quid fiduciae in unaquaque methodo locandum esset, daretur demum cognoscere.

Itaque universalem primo methodum adhibendam sum ratus, utpote quae potissimum laudabatur in libris; ac, quemadmodum fit, nullius medicamenti sum oblitus ex iis, quae prae ceteris commendantur. Verum si libere fateri debeo, quaecumque observari contigit, inficias non ibo, incassum me eorum plerisque usum esse, re parum prospere succedente, scrophulisque plerumque aut vix parumper compressis, aut iterum pullulantibus, aut nullimode mutatis.

Pauca tantum remedia celebritate sua

non omnino indigna cognovi, videlicet: extracta quaedam virosa, vel succos stirpium quarundam concretos, praesertim cicutae majoris, tum chlorureta barii, et calcii diu, conjuncteque, sed parce prudenterque adhibita. In his tamen immorari non expedit, nota enim sunt, et omnibus nostra hac aetate perspecta. Idcirco longo hic sermone vos non morabor, uti doceam, quibus in casibus ita scrophulas curaverim, et quomodo eas vicerim: unum oblivisci non debeo, atque hoc erit, quod etsi aliquando per haec pharmaca difficillimam aegritudinem revera compescuerim, atque abstulerim, saepe tamen frustra laboratum est, tempusque, ut ajunt, trivi, atque operam perdidi, quin cognoscere datum esset, qui fieret, ut ea remedia, quae alias efficacissima perspecta fuerant, tunc omnino inutilia evaderent, ac virtute omni carentia. Quam ob rem frustra etiam experimento plerumque subjectis ceteris aliis, quae in neotericorum libris maxime commendantur, ad alteram methodum me contuli, ad eam videlicet, qua scrophularum, seu glandularum tumentium sedes ipsa impetitur, tentanda, eo dumtaxat consilio, uti meis ipse oculis viderem jure

ne, an injuria medici plerique huic methodo infensi sint, atque utrum quidpiam excogitari posset, quo ejus methodi defectus, si qui sunt, emendare liceret, atque adimere.

Porro antequam id aliud curationis genus aggrederer, cogitandum primo duxi in ea medicaminum farragine, quam libri exhibent, quid potissimum esset eligendum; ac posteaquam multa sum meditatus, ita demum mecum ipse ratiocinatus sum.

Quaecumque glandula obduruerit, naturamque suam sic mutaverit, uti scrophula, seu struma facta sit, non absurde considerari potest tanquam abnorme quidpiam corpori additum, suis jam viribus, aut omnino, aut maxima ex parte vegetans; denique, ut paucis rem expediam tanquam extranea quaedam stirps, atque adeo quoddam animantis genus corporis texturae insitum, in eam illatum, atque ibi vix aut ne vix quidem universalis vitae partem habens, propriaque jam fere virtute succrescens parasitico more, non sine vicinarum partium jactura, totiusque microcosmi discrimine, quicum pugnat novus ille organismus, haud vincendus, nisi directe compri-

matur, atque ab sede, quam occupavit, funditus radicitusque exturbetur.

Propterea scrophulas fere clavis assimilarem, ac verrucis, atque hydatidibus, quae vegetantia sunt, aut animantia membris inserta; neque huic sententiae adversatur haereditaria ea diathesis, de qua supra verba fecimus. Potest enim in hoc sita esse diathesis ejusmodi, quod glandulae nonnullae vitio quodam primigeniae structurae proclives sint ad eam degenerationem, propter quam universalem vitam dimittunt, ejusque participes fieri desinunt, et peculiari modo vivere incipiunt, sensim ac pedetentim evanescentibus iis veluti vinculis, per quae priori vitae jungebantur, prout novum peculiare vivens systema evolvitur, pullulat, atque exeritur. Subtilia haec nonnullis videbuntur, atque a communi pathologorum ratione aliquantisper longinqua; verum non aliter apud neotericos clarissimi nominis putantur oriri entozoa pleraque, non aliter carcinomata, non aliter degenerantia multa; quae licet ab initio corporis ipsius pars essent, et a corporis vita pendentia, tamen processus morbosi vi, a reliquo systemate nerveo segregata sunt, aut omnino, aut ma-

xima ex parte; et sic nova efformaverunt individua, priori individuo infesta, et cum illo luctantia.

Nil mirum igitur, quod non raro colluctatio haec noceat admodum individuo priori, ac potiori; nil mirum, quod, exempli gratia, in carcinomate a lucta hac proficiscatur diathesis ipsa cancerosa, seu dispositio ad nova carcinomata gignenda; nil denique mirum, quod in scrophulis idem eveniat. Nempe vel particulae quaedam novi illius organismi ab illo emissae, dum per vasorum communiones in circulum truduntur, evadunt veluti germina organismorum parium; vel venefica quaedam vis a morboso organismo manans corpus universum laedit; vel secretio cujuscumque generis ab eo fit, quae absorptione, aliove quolibet modo circumundique ducitur, et morbi seminium secum fert, non facile comprimendum, vel delendum.

Ita mihi scrophularum naturam definire visum est rationi consentaneum. Inde porro methodum duxi, cujus ope sum ratus, glandulas ita aegras minus difficulter abolitum iri.

Tria censui medico peragenda: primo

eruendam cito tutoque scrophulam, seu scrophulas, strumasque, ut organismi illi aboleantur, qui microcosmo erant infesti; secundo agendum interea, ut quod seminium ab iis organismis, aut quae venefica vis per corpus universum manabat, ibique diathesim sic dictam scrophulosam gignebat, servabat, acuebat, exturbetur, ac destruatur; tertio efficiendum, ut methodus illa, per quam scrophulae, strumaeve eruuntur, minimum afferat aegro incommodum, minimumque, quoad fieri potest, dolorem, ne secus agentes irritationes periculosas excitemus, aliaque mala eo magis timenda, quo procliviores sunt aegri hujusce generis ad glandularum tumores sponte enascentes, quum irritationes hujusmodi patiuntur.

Sequitur ergo ab amputatione scalpri ope abstinendum, aut eodem tempore, quo scalpro utimur, alia etiam remedia adhibenda, per quae duo illi effectus habeantur, de quibus secundo, et tertio loco disseruimus. Haec tamen duo consequi, cum glandulas incisione tollimus, visum est admodum difficile. Nam praeterquamquod ferro ad haec uti vix raro chirurgus audet,

aut valet, primo fieri non potest, ut amputatio maximum non excitet dolorem, nulla ratione compescendum, ac summopere proinde irritet, ex qua irritatione vix est in medici potestate, ut impedimento sit, quominus mala multa sequantur: sunt enim ii, qui scrophulis laborant summopere, uti diximus, irritationum quarundam paullo graviorum impatientes, ac per eas proni ad contrahendas aegritudines diutinas, et discrimine plenas. Ad haec accedit, quod si scalpelli ope glandulae tollantur, integra adhuc manente scrophulosa diathesi, frustra laboratum est: irritatio enim illa, de qua diximus, in eo corporis habitu fieri non potest, ut incommoda non afferat, quae supra verebamur; nec facile possumus iis praesto esse, posteaquam orta sunt. Incipiendum igitur esset, si scalpro admovere manus placeat, a diuturno remediorum usu, quae diathesim illam compescant, atque irritationis incommoda arcere queant, cum parato satis corpore per ea praesidia glandulae abscindentur. Verum id consequi plerumque non licet, praesentibus enim atque in microcosmi compage hospitantibus morbosis scrophularum seu strumarum organi-

smis, alterum horum opus est, ut contingat; aut scrophulae ipsae, et strumae compescentur, et curabuntur, universali methodo adhibita, dum eodem tempore diathesis curabitur, et scalpelli auxilium inutile tunc evadet; aut universalis illa methodus diathesi quidem adversabitur, non autem scrophulas ipsas necare poterit, atque in nihilum fere redigere, et tunc parum inde commodi obtinebimus: quidquid enim utilitatis a remediorum virtute obtineretur, evanescet praesentibus semper glandulis morbosis, unde seminium illud, de quo locuti sumus, ac venefica vis in circulum truditur. Continget igitur, quod reapse contingit; inutilis plerumque evadet universalis ea curatio, quae diathesim tollere haud poterit, ni glandulas ipsas tollat; ac proinde cum ad scalprum accedemus, necessario mala illa sequentur, quibus curatio antecedens impedimento esse non potuit. Tumentes, atque inflammatae glandulae summopere semper erunt ad irritationem proclives: eadem proclivitas in proximis etiam partibus deprehendetur: ferrum hinc adversabuntur: ferroque impetitae abscedent quidem a corpore, verum post

se relinquent omnia ea consectaria, quae supra memoravimus.

Ast si ob allatas rationes a ferro abstinendum, ad quod demum praesidium confugere opus erit, quod non aeque timendum sit? Causticis ne sine ullo discrimine adhibitis utendum erit? Condemnant omnes, et jure condemnant. Quis enim ignorat dolorem, atque irritationem non minus ab eorum usu enasci, quam a scalpro? Quis ignorat diutius imo dolere, atque irritari partes, quibus caustica admoventur, quam quae ferro semel abscinduntur? Ab iis etiam igitur omnino cavendum? Hoc vero ego non arbitror, atque argumenta, quibus ducor in hanc sententiam, sunt, quae modo paucis exponam.

Est ne factu admodum difficile, ut in tanto causticorum apparatu, quae materia medica nobis obfert, aliquod inveniatur, cui virtus sit pluribus modis agendi: primo leniter, et absque irritatione gravi partes vivas erodendi; secundo occidendi interim sensim, ac sine sensu organismum illum, quem glandula exhibet; tertio minuendi hinc paullatim, ac denique omnino sistendi scrophulosi seminii fluxum, ac ve-

neficae virtutis a glandula manantis; quarto demum impediendi propterea, quominus scrophulosa diathesis servetur, ac per actionem quamdam in universum corpus exercitam, microcosmum reddendi pristinis conditionibus ejus valetudinis, quam normalem nuncupant? Certe si rem a priori, ut ajunt, consideremus, nihil est, ex quo discere sit, remedium aliquod hac virtute praeditum inveniri non posse. Contra plura sunt, quae contrarium persuadent.

Et re quidem vera in magna causticorum caterva norunt omnes alia esse, quorum actio cum dolore maximo consociatur; alia vero, quae corpori admota minus dolent, quaecumque demum sit diversa horumce phaenomenorum ratio. Norunt item omnes plura esse remedia e stupefacientium genere, quae causticis quibuslibet addita, sentiendi facultatem in corpore obtundunt, illudque reddunt irritantium, ac rodentium magis patiens. Jure igitur affirmavi inveniri posse caustica, quae vel sola, vel remediis aliis jugata, et rodant, et parum, aut nihil incommodi secum afferant. Et sane, his etiam posthabitis, si concedimus glandulas, posteaquam scrophulae, seu strumae

factae sunt, organismum efficere peculiarem jam a microcosmo fere sejunctum, ac propriis pene viribus viventem, inde aperte sequitur posse igitur topicis medicamentis adhibitis, locali quadam, ut ajunt, actione haud difficulter interfici, aut saltem ita contundi, ac reprimi, ut deleta jam fere in eo peculiari vita, non amplius irritetur per caustica, et se se corrodi sinat, quin exasperetur: proindeque licebit jam eas glandulas impetere, quin jure vereamur mala omnia, de quibus antea sermo fuit. At eadem ratione si quid valet ad eam virtutem exercendam, quae peculiarem scrophularum, seu strumarum vitam retundat, nemo non videt valere etiam debere ad gignendos pares effectus in contiguis partibus, quibus inseruntur glandulae morbosae. Ergo in iis etiam partibus sensibilitas minuatur, oportet, illaeque etiam patientiores irritationis fiant; et in iis quoque minor evadat a causticis dolor, et cum dolore irritatio, minusque irritationis incommodum. Ergo ne timendus quidem erit causticorum usus in contiguas scrophulis, seu strumis partes; neque alia jam remanebit timoris ansa, praeter eam, quae scrophulosae diatheseos

reliquiae superstites dabunt. Verum haec etiam ansa collabatur, necesse est. Nam si caustica inveniri possunt, atque alia causticis admixta, quorum conjuncta vis id efficiat, ut dolor et irritatio vix, aut ne vix quidem tam in glandulis, quam in proximis partibus enascantur; si glandulae ipsae interfici, ut ita dicam, possunt, antequam erodantur, et e corpore exturbentur; si per hoc fieri potest, ut antequam auferantur illae, jam sistatur scrophulosi seminii, et veneficae virtutis fluxus, qui universam compagem permeat, atque in ea scrophulosam diathesim servat, et quotidie auget, manifestum est ab horumce remediorum usu alium hunc effectum oriturum, ut eodem tempore, quo glandulae extirpantur, scrophulosa etiam ea diathesis paullatim imminuatur, tandemque aut omnino aboleatur, aut ad ejusmodi conditionem deveniat, quae per communia ac potiora antiscrophulosa praesidia intus, vel extrinsecus et endermice * adhibita destrui, aut saltem

---

* Animadvertendum est nonnulla caustica haberi, quae etiam si extrinsecus admoveantur, methodi ender-

compesci possit. Quidquid igitur conari oportebat, ut caustica adhiberi possent absque detrimento, tutoque cito, et sat jucunde, ad scrophularum eradicationem admoverentur, si cautionum earum non obliviscamur, quas diximus, jam factum erit, ac propterea non injuria dixi medicum ratione utentem veterem eam sententiam plerisque hodie arridentem infirmare posse, quae caustica in scrophularum curatione condemnabat.

Porro placuit, posteaquam ratiocinia id suaserunt, experimento haec omnia subjicere, et quandoquidem chirurgum noveram jamdiu causticis utentem ad scrophulas abolendas, cum illo primum sermonem habui. Et sane is formulam, qua utebatur, nulli hominum traditam volebat, quippe qui sibi in animum induxerat pulcherrimum se nosse arcanum in libris lectum antiquorum, tum a se, experientia docente, in pluribus emendatum. Neque ego, quod ille fateri renuebat, scire sum conatus: pla-

---

micae adinstar, tamen virtutem antiscrophulosam in toto corpore gignunt, uti aperte nobis comprobavit experientia.

cuit tamen curationes ejus propius nosse. Itaque illi accessi aliquantisper comes cum lectissimo juvene Doctore Petro Gnudio. Quae autem meis ipse oculis vidi paucis nunc communicabo.

Historias ipsas non recensebo; longum enim esset. Sancte unum affirmabo vidisse me trochiscis admotis non ejusdem usque generis, verum diversis pro re nata, atque adeo duarum, ut ille ajebat, specierum corrodi primum cutem, tum cito glandulam se se obferri vix aut ne vix quidem mole mutatam, jam tamen a suis nexibus abscedentem, afficiente uti videbatur, caustico glandulam potius, quam partes contiguas, (nam in ea solummodo chirurgus trochiscos infigebat) adeoque id efficiente, ut corpus illud extraneum sine evidenti corrosione, excepta parte a trochisco impetita, paullatim sejungeretur, suppuratione dilabentibus nexibus, a microcosmo, donec dilabebatur penitus scrophula omnino eruta paucis post diebus integra, cavitate relicta, quae brevi impletur, dum caro interim quam citissime undequaque germinat, et cicatrice haud visu foeda tegitur, atque obducitur. Idem, quoties oportebat, iteraba-

tur aliis in locis quibuslibet, ubi scrophulas videre erat, non adhuc caustico impetitas. Mirum autem fuit in hisce experimentis, quod aeger interea paullatim videbatur amittere universalem illam invaletudinem, quam corpus totum praeseferebat, ceterisque omnibus in melius mutabatur, ita ut una cum glandulis pedetentim medicamento tentatis ac deletis, abibat morbus, ac revertebatur sanitas, non in eas dumtaxat partes, quae remedium senserant, verum in reliquas omnes, quantum cognoscere fuit in iis curationibus, quarum testis esse potui.

Fateor meditatione haec dignissima visa esse Gnudio, et mihi. At donec arcani religione tegebatur omnis haec medela, momenti nihil datum erat inde colligere ad artis incrementum. Decrevi ergo per me ipse experimentis propriis rem aggredi, et caustica comminisci, in quibus virtutem illi parem deprehenderem, quam empiricum illud remedium praestiterat.

Longum vero esset enumerare medicamenta omnia, quorum periculum feci, iis primum adhibitis, quae in veterum libris legeram, ne neglectis quidem agyrtarum praeceptis. Porro quae demum invenerim

desiderio apprime respondentia, et quae secundum vota omnino successerint enarrare in secunda hujusce meae disceptationis parte aggrediar, ne diutius patientia vestra abutar, Collegae praestantissimi. Satis modo sit paucis dicere, me in ea nunc versari sententia, posse prae ceteris praesidiis, quae ars suppeditat, omnino morbum teterrimum contundi, ac reprimi causticorum ope, de industria pro morbi genere, diuturnitate, ac gravitate identidem mutatorum. Verum enim vero plura de hoc fari in praesentiarum non interest; sinite igitur judicium suspendere, donec omnia audiveritis, quae observare pro re nata contigit; atque interea conantem pro viribus medicam artem inventis sive novis, sive renovatis augere benigno animo excipite.

Die 20. *Martii* 1834.

NIHIL OBSTAT

Pro Eminentissimo, et Reverendissimo DD.
CAROLO CARD. OPPIZZONIO
Bononiæ Archiep.

A. Prof. BERTOLONI Praes. Colleg. Med. Chirurg.

Die 22. *Martii* 1834.

Annuit juxta Art. 307 Constitutionis
— *Quod Divina Sapientia* —

J. MINARELLI Rector Archigymnasii.

Die 1. *Aprilis* 1834.

IMPRIMATUR

LEOPOLDUS Archipr. PAGANI Provic. Gen.